



**Desault, Pierre-Joseph - candidat /
Louis, Antoine - président. - De
calculo vesicae urinariae, eoque
extrahendo, praevia sectione, ope
instrumenti hawkinsiani emendati**

1776.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, viâ Cithareâ,
Cote : ms 2344, n°26***





DE CALCULO
VESICÆ URINARIÆ,
EOQUE EXTRAHENDO,
PRÆVIA SECTIONE,
OPE INSTRUMENTI HAWKINSIANI EMENDATI.

THESES
CHIRURGICÆ;
PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die 31^a mensis Augusti, anno 1776, à sesqui-secundâ post
meridiem ad septimam.*

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii
Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXVI.

DE CALCULO
VESICAE URINARIAE,
EOQUE EXTRAHENDO,
PRAEVIA SECTIONE,
OPUS INSTRUMENTI HAWKINSIANI EMENDATI.

THESE
CHIRURGICAE
PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGICORUM SCHOLIS,
PRO ACTU PUBLICO
MAGISTER F. LAUREA.

Typis MICHAELIS AMBERT, Regii Chirurgiae Collegii
Imprimatur, in Culmen.

M. DCC. LXXVI.



D. O. M.

T H E S E S
C H I R U R G I C Æ.

I

CONCRETIO intra corpus humanum ferè lapidea, ex humoribus secretis enascens, calculus audit. Pro partium in quibus generatur & liquidi secreti ratione, variis designatur nominibus; & lacrymalis, salivarius, bilarius, si lacrymarum, aut salivæ, aut bilis humores concrecant & indurescant. Qui suam in viis urophoris originem & incrementum habuerit, is urinaris in genere; vel renes, vel alterutrum ureterem, vel vesicam,

A ij

vel urethram occupat, vel intrâ præputium & glandem, vel tandem has extrâ partes hospiratur, dummodò ex iis per fistulam urinariam rivulus manet. De calculo vesicæ, omni nexu libero, in viris, tantùm dicere animus est.

I I.

MULTIPLEX, pro situ, numero, magnitudine, figurâ, colore, densitate, structurâ & naturâ, vesicæ calculi discrimen admittitur. Plurima pars eorum in vesicâ fluitant; sæpius tamen in ostium urethræ impacti; nonnulli verò ex cuniculis in quibus delitescent, rariùs se proferunt. Nonnunquam unus duntaxat, interdùm autem plures adsunt. Nonnulli longi, pauci lati vel ad latera compressi; plurimi rotundi, obtusi, angulares, vel corporum diversorum figuram simulant. Quoad colorem, hi albi, illi cinerei, quidam flavi, spadicei, rubri, nigricantes, aliove colore imbuuntur. Duris & solida compages cum siliceâ duritie, quâ vel impetum fracturi forcipis eludant; illis rara est & admodùm fragilis. Quoad eorum pondus, saxa, filices, adamantes, lignum in petram conversum, &c. calculis humanis ferè duplo graviora sunt. Hi ad aquam sunt ut 5, ad 4, & illa plusquam 2, ad 1. Pro structurâ, quidam lamellis coherent in orbes mechanicè contortis, primùm basi quæ nucleus dicitur, innixos, deinde alios aliis impositos, externos internis majores, ab invicem planè distinctos, crassos diversimodè, diversi sæpè coloris, tandem facillè nonnunquam separabiles; dantur alii cretacei, informes, glareosi intus, extrâ foliati, multo leviores, minorisque densitatis: alii demùm durissimi ac maximi ponderis, mamillares, veluti morum, scoriarum ferri, formam & colorem referentes; non conflati ut cæteri, ex lamellis & orbibus concentricis, sed ex granulis propè conoideis, quorum apex calculi centrum spectat.

in quibus grumi sanguinis exsiccati, corticis exterioris loca quædam & spatiola occupant. Hoc ultimum erit discriminis, aut calculus ipsius vesicæ factus est, sive spontè efformatur, sive corporis extranei adjumento (1); aut è renibus delapsus in eâ sensim incrementum adipiscitur, & tunc ferè semper majoris est duritiei, & nucleo solidiori ingravescit.

I I I.

OMNIBUS calculis duo insunt principia quæ sensibus percipiuntur; alterum totius molis robur ac fundamentum, nempe terra; alterum quod præcipuum habetur, cujusque interventu terreæ partes inter se coalescunt, *gluten mucosum* (2); ex quorum inter se mixtorum majore vel minore concursu, calculi diversam consistentiam, diversum pondus, diversamque structuram accipiunt. Sed alia per analysim chemicam demonstrantur. 1^o. Juxta Halesium, tanta vis inest aeris, ut molem 645^{es} roto calculo majorem occupet evolutus (3); ex nostris verò experimentis, 1^o. 500^{es}, cujus una pars aeris simplicis vitiat (4), altera fixi (5),

(1) Turundâ. Tulp. L. III, c. 9. Linteo, Kentman, Filo, Franck, Anmerck. IV, p. 474. Pilo, Bourgeois de calculo, &c. Filo orichalceo, la Motte, obs. 226, &c. Ferramine, Collot, p. 173. Frumenti spicâ, Hist. de l'Acad. des Scien. 1773, p. 128, 129, &c. Hordei glumâ, Marin, p. 125, &c. Fabâ, Pouteau, Melang. p. 293.

(2) A Cl. Stæhelino detectum, Geoffroi, Recueil sur la Pierre, p. 364. Nobis verò, imposito flammis usque ad ebullitionem calculo in pulverem redactò, glutinosa facta est aqua; terra verò ima petiit.

(3) Hales, veget. stat. p. 188.

(4) Ille aquæ non miscetur, cum aere nitroso vix effervesceat, & lumen extinguit.

(5) Hic cum aere nitroso non effervesceat, subitoque lumen extinguit: mixtus aquæ, eam subacidam, empyreumaticam efficit, & præcipitandæ calcis aquæ parem.

tertia inflammabilis (1); 2°. 540^{es} cujus 20 cubici pollices
aeris atmosphaerici, 96 $\frac{1}{2}$ aeris vitiiati, 85 aeris fixi, 68 $\frac{1}{2}$
inflammabilis; 3°. denique 244^{es}, cujus 24 cubici pollices aeris
simplicis vitiiati, 43 $\frac{1}{2}$ fixi, 54 $\frac{1}{2}$ inflammabilis: II°. aqua ad $\frac{1}{10}$;
III°. sal volatilis multus; IV°. urinosus ruber spiritus; V°. aliqua
olei particula; VI°. sal alkali fixus; VII°. sal marinus; VIII°. ferri
aliquantulum; IX°. terra superstes, minor quartâ parte calculi;
nam ejus momentum ad $\frac{3}{10}$ aestimatur; quæ quidem terra
nullo modo terræ animalis absimilis; in pulverem redacta ab
omni acidorum genere vel facilius vel difficilius solvitur (2);
unde salia diversa (3) acido superante (4) emergunt; nullam
propemodum aeris partem continet (5); nec sola, nec cum
alkali fixo in vitrum coalescere potest, vel ad ignem qui vitris
adhiberi solet, coquefacta; dum mixta cum borace, cineraceum
encaustum producit (6).

I. V.

IN HOMINE frequentiores esse quàm in brutis calculos vesicæ
docet historia, sic etiam in nonnullis regionibus potissimum
severe, dum aliarum incolæ infrequenter calculis laborant. Quot

(1) Aquæ non immiscetur, parùm effervesceit cum aere nitroso, &
admotâ candelâ flammam concipit.

(2) A Salibus acetosis & tartareis difficilè, facilè à vitriolico, à marino
facilius, à nitroso facillimum.

(3) Cum acore vitriolico, prismatica crystalla; cum nitroso, laminæ
quadratæ oblongæque formam referentia; cum marino, cubica.

(4) Black.

(5) Hæc terra à quovis acido soluta, ab alkali-fixo præcipitata, lota
dein, & rursùm ab acidis dissoluta, nullo ferè modo effervesceit.

(6) Ut in percelebrî officinâ Pagi illius, vulgò Seve, à Cl. nostro
Bertholet observatum est.

enim millia calculosorum in Belgio, Angliâ & Galliâ? Quàm verò pauci in frigidissimis ac calidissimis regionibus, in quibusdam Germaniæ plagis, in Sueciâ, Daniâ, in Indiâ (1) & Japoniâ (2) : sed notandum venit in quibusdam urbibus, & vel in unâ ejusdem urbis parte, habitâ numeri calculosorum ratione, quandòque plures quàm in cæteris reperiri calculosos.

Pro variâ ætatum, habituum, victûsque ratione, calculos variè nasci ac formari experienciâ constat; vulgatissimum est & infantes & pueros magis quàm adultos vesicæ calculo esse obnoxios; viros sæpiùs quàm mulieres; homines (si labem non acceperunt à parentibus) ut plurimùm melancholicos, arthriticos, lectuarios, quiescentes, quorum vultus, torusque corporis habitus lentescentem intùs humorem & quasi lapidescentem sæpè denotant; viros gulæ deditos, valdè obesos, studio feriisve intentos laboribus, in quibus idè liquidorum circuitus remissior est; qui cibos operosè concoquunt & ægrè fecerunt; viros denique glutinosi ac terrestribus cibis, & lapidescente utentes aquâ, quorum proinde crassiores sunt humores, interdum stagnant, & ubique, simulque congeruntur.

Complures alias deprehendere est calculi causas; scilicèt varia partium urinæ inservientium vitia, obstructionem, inflammationem, ulcus, &c.; occursum corporum heterogeneorum, illud urinæ vitium, quo terreæ ejus particulæ ultrà modum abundant; aut citiùs quàm par est intrà corpus secernuntur; sive habitu quodam singulari innato aut translatitio; sive statu morbofo quo terra ex ossibus aliisque partibus exhausta, in sanguinem regressa, & indè per renes excreta, copiosior in urinam

(1) Nullus. Paxman. Med. Ind. p. 30. Multos tamen ibi esse calculosos ex recentioribus constat observationibus à Cl. nostro Gauglin factis.

(2) Nullus. Kämpfer.

redit; siue tandem naturâ ingestorum (1). Quibus observatis ac memoratis, differendum nobis est, ex lithogenesis indagatorum sententiâ, quomodo calculus efformetur.

V.

IN IPso sanguine continentur principia calculo generando idonea, quæ sano in homine semper mixta manent & nusquam deponuntur; quod superfluum est, lege sanitatis tempestivè foràs ejicitur, & per urinam potissimum, utpotè quæ particulis humorum crassioribus ac terrestribus exitum faciliùs moliri possit. Cum verò diutiùs residet in vesicâ lotium, & in ipso rene lentius percolatur, tunc tartareis particulis plus minusve abundans, moras passum, si insolubile corpus quodcumque, aut glutinosum aliquid, veluti sanguinis purisve grumum, lentioremve mucum cui adhærere queat, nanciscatur, deponit eò sabulum, quod mucò obductum fit magnes (ut ita dicam) qui terreas particulas adtrahit & retinet: en calculi principium & causa ejus incrementi adjutrix: aliæ particulæ se magis ac magis huic affigunt & conglutinantur. Sic exurgit, modò celeriter modo lentè, calculus in principio mollis, tempore indurefcens, ut plurimum per orbes & lamellas accrescens; quandòque informis, intùs durus, cortice verò molliori; ex quibus colligere in promptu est, duo ad calculum efformandum inservire, quietem nempe & corpus quodcumque, cui urinæ tartarum adhærere queat.

V I.

IN SENSIBILIA & rationalia calculi signa dividi solent. Hæc à læsâ functione omninò pendent & symptomata habentur, sed

(1) Nonne à perspiratione cutaneâ nimis auctâ repeti potest calculi causa? Illud ex eo confirmatum videtur, quòd tunc minùs aquosæ sint urinæ.

infida, alios morbos aliasque causas mentientia; illa verò certissima; de utrisque dicendum nobis est.

Cùm merè mechanica sit facultas nociva, quâ lædit calculus, varii effectus tùm à mole, pondere, duritie, tùm à motu, allisione, frictione derivantur. Calculum initio tenuem, levem minùsque durum vix persentiscit sisyphus; ardor est in meiendo levis, nec continuus, dulci tentatur prurigne glans summa, cui diuturniori succedit in vesicæ collo doloris sensus & improvisò pungens. Quoniam verò hujusmodi mali effectus minoris momenti videntur, vix conqueritur æger incautus. Crescente calculi mole, malum ingravescit, dolor vesicæ est acrior ac frequentior, circa finem micturitionis exacerbatur: Dysuriâ magis ac magis torquetur æger, & eodem propemodùm cruciatu quo parturientes: in extremâ urethræ parte non pruritus tantùm, sed irritatio continua molestat, quam æger, ut leniat, penem contrectat, premit, extendit, vel crura & pedes iteratis inter se vicibus implicat: frequenti defatigatur, irritoque meiendi & alvum exonerandi desiderio: dum pleno fluit alveo lotium, subitò interdùm supprimitur, obstructo scilicet per calculum vesicæ ostio; atque etiam spontè destillat, undè indusiis ac femoralibus urinæ stillicidio madefactis, putridus lotii odor exhalatur. Æger levaminis spe mutare situm, corpus huc & illuc contorquere, in varias partes procumbere miserè cogitur, ut malum inhærens ejicere possit: repentino motu quassatur penis subfultim exultantis, invitus intumescit, & inter ignes inimicos frigidus torpet. Calculi magnitudo importunum in perinæo gravitatis sensum admover; scaber vel spinis hirsutus vesicam sollicitat, pungit, excoriat, undè mictus sanguinolentus: quod quidem interdùm evenit, etiam si levis sit ac lubricus, si adsint in vesicâ vascula varicosa, quæ faciliùs sanguinem emittant. Ægrum etiam molestat quævis exagitatio, æquitatio, per salebrofa loca deambulatio. Cùm vesica & anus mutuo sensu, mutuâque irri-

B

tabilitate donentur, altera ad alterius dolorem & motum, intermedio calculo, stimuletur; hinc mictum tenemus, defectionem mictus concomitatur, anusque in pueris sæpè prolabitur. In hisce rerum angustiis urinæ redduntur ut plurimum graveolentes, viscosæ, quasi in fila ductiles, quæ quandòque sibi exire properantibus propter crassamentum obstant, undè retinentur. Tandem malis ingravescentibus, omnia in pejus ruere, acerrimi doloris faces admoveri; cibi potûsque fastidium accedere; arcana febris & lenta macies sisyphum corrodere; & quod luctuosius, sed infrequentius, calculus vel in lacunâ detentus, vel etiam liber, vesicam inflammare, abscessu aut gangrænâ corrumpere; undè pater meatus lotio pervius, sive per anum ut sæpius exploratur, sive in perinæo. Hùc accedit insuper, quòd nullus ex urethrâ jam exeat lapillus, quanquam æger plures lapillos ejicere solet; quòd denique dysuriæ symptomatibus torqueri incipiat; quòdque irritum sit omne remedium, levaminis spe tentatum.

V I I.

Cùm sæpè sæpius in errorem inducant exposita illa calculi symptomata, in medium indicia proferamus quibus certa calculi præsentia demonstrari possit. Duo tantùm agnoscuntur modi ad tactûs sensum referendi, quibus calculus indubitatè percipitur: unus promptior, videlicèt, si unum digitum vel duos in ægrotantis anum immittas, quibus gravitas vel durities quædam in vesicâ percepta, de calculo certiore te faciat: digito non frequenter attingitur calculus, nisi in infantibus aut pueris, etiam orificio urethræ impactus, aut cùm grandior omnem vesicam replet, aut in ejus recessu, ad recti latus, infra collum citò detinetur & nidulatur. Sed est quod sæpius fallat istiûsmodi indicium; cave, glandulâ prostatâ scirrhosâ, lapideâve decipiaris, vel vesicâ induratâ, vel tumore aliquo in vesicâ aut

recto, aut glandulâ subnato, quæ eodem sensu ludificari possunt explorantem.

V I I I.

ALTER modus vulgatiore, mediante cathetere in vesicam demisso, idemque certior; cujus attritus ad lapidem, sonum, strepitumve corporis duri reluctantis edit, non solum à Chirurgi auribus manibusque percipiendum, sed etiam ab adstantibus audiendum. Quibus instrumentis, quo modo catheterismus commodius perfici potest? Hoc unum tantummodò referre lubet, quod præstantior nobis videatur catheter ferreus aut chalybeus, solidusque & absque longiori rostro, eòquod sonus acutior edatur, minorique cum dolore inquiratur calculus; cum vesica eo irritata ut plurimum parva remaneat ac contracta. Quàm providè in vesicam demittendus; quàm blandius huc & illuc vertendus sit, & ratio & experientia commonstrant. At verò per catheterem exploratio & judicium de calculo exindè institutum quandòque difficultatibus arduis premitur. Quid in hoc casu præstandum? Inquiras, vesicâ urinæ plenâ aut vacuâ, ægro vel supino vel sedente vel stante, vel in unum alterumve latum inclinato, jejuno ventriculo aut distento, post quietem vel ambulationem. Inquiras & cum cathetere & digito in anum immisso separatim aut simul. Quo tentamine sollicitè ac prudenter factò, attamen incassum, si variis symptomatibus calculum designantibus, sedulò attentus de eo gravem suspicionem habeas, tunc injectiones in vesicam adhibere est. Plures enim adnotantur casus, in quibus, dum vesica contrahitur, sive spasmo, sive tumore quodam, sive propter fistulam hujus visceris in anum aut in perinæum abeuntem, calculus in recessu ita penitus delitescit, ut eum catheter manifestò tangere nequeat, nisi postquam spasmus remissus est, aut vesicam distendit major urinæ vel liquoris injecti copia. Interdum verò si calculus cortice mol-

liori induatur, aut humore multo crassoque circumobducatur; catheter admotus nullum omnino sonum edit: quod tamen ut praeipuum calculi signum merito judicatur. Quo in casu periti lithotomi dulcem primum, dein acriorem aquam pro vario visceris sensu & calculi munditie, in vesicam injicere non dubitant, haudque improspere successu. Mira nonnunquam contingunt quae peritissimos fallere possunt: sic ille calculus qui quodam tempore facile per catheterem attingitur, alio vero nullâ arte deprehendi potest; v. g. cum in vesicâ residet, deinde in quodam diverticulo seu expanso illius processu latet; denuoque post validos ægrotantis nixus, corporis contorfiones, loco motus in cavum redit. Quod de causis errorum per explorationem digiti in anum immissi, supra relatum fuit, illud etiam catheteris ope quandoque contingit.

Ubi verò de calculi præsentiâ constat, quidam de ejus magnitudine, figurâ, & mobilitate per catheterem sollicitè inquirunt. At quàm difficilis sit hæc indagatio qualitatum & numeri calculorum, testes sunt peritissimi lithotomi: probabilis tantum de his potest haberi opinio; judicium de vario vesicæ statu proferant, scilicet an ampla sit & expansa; an dura, majorive muci copiâ abundet, &c., ut censeatur, quid à sectione sperandum sit aut metuendum.

I X.

PRO numero, magnitudine, figurâ & naturâ calculorum, varia instituitur prognosis; atque etiam ab ægrotantis ætate, habitu, præsertimque à systematis urinarii conditione diversè deducitur. Ultrâ definitos limites progredieretur, si quis ea sigillatim exponere vellet.

X.

CUM vesicæ calculo sic agendum est, ut non lædat, aut expellatur, aut dissolvatur, aut extrahatur.

Ad illud primum inducere debet Chirurgum misera Sisyphi conditio, ut ea tentet artis auxilia, quibus vesicæ calculo omnis adimatur lædendi facultas, aut saltem minima relinquatur. Quod quidem levamen sperari, etiamque obtineri potest; 1°. si dolori occurras per antiphlogistica, per emulsiones anodynas, narcotica, aliave remedia quibus vesicæ sensus minuatur; 2°. si medelam afferas stranguriæ, ischuriæve quam in urethræ ostio producit calculus; scilicet per catheteris subsidium, aut per eum corporis situm, quo vesicæ collum parte posteriori altius emineat. Quibus tentatis, insigne levamen ac per multos menses præsentissimum calculosis quibusdam allatum fuisse constat.

X I.

NOTUM est omnibus, nonnunquam calculos minores è vesicâ cum urinâ expelli, in fœminis verò facilius & sæpius quam in viris, cum earum urethra brevis, latior, recta decur- rat, magisque dilatari possit. Imò non semel contigit magnos etiam calculos sine artis auxilio feliciter ex earum vesicâ produsse. Hinc expedit, simul atque signa calculi per ureterem è rene in vesicam elapsi, comperta sunt, remedia huic expellendo idonea protinus adhibere, ut balnea, clysmata, in urethram injectiones, potum copiosorem liquoris urinam cientis; varium corporis situm v. g. cum sedens antrorsum inclinatur. Hoc verò potissimum requiritur, ut ager magnam primò retentam urinæ copiam postea celerius expellat; tunc enim calculus non circa mictûs finem, sed primo exeuntis urinæ impetu ferè semper ejicitur. At ille nonnunquam in urethræ ostium elapsus, novis- què auctus incrementis, ita coercetur, impediturque, ut jam immotus nullatenus expediri queat; unde ischuriæ symptomata & mala subsequencia, quibus rectius occurre, si per urethræ sectionem calculum extrahas, quam si illum in vesicam intro- pellas, ut quidam præceperunt.

Ubi verò talis inest calculo moles, ut per urethram ipsi exitus fieri nequeat, solutionem hujusce corporis in vesicâ tentare nonnulli student, hisce experimentis allecti, quibus demonstratur calculi terram quolibet acore (1), gluten verò aquâ communi (2) & imprimis medicâ (3), vel aeris fixi plenâ (4), dummodò tepidâ, deniquè alkali fixo aut calce (5) solvi posse. At prohi hominum calamitas! quàm frequenter irritum, imò etiam quandòque noxium illud tentamen! Si acida potu sorbeantur, urinæ vias ea non subire probat experientia; si verò in vesicam injiciantur, quot mala ex eorum vi in partem adedò sensilem impressa exoriuntur, undè sunt omninò rejicienda. De remediis gluten soluturis, aliud judicium feratur, sive per os exhaustis, sive per catheterem in vesicam intromissis; cum epota illa, ad lotium pervehi ex eo constet, quod lixiviosum fiat (6), & tunc in eo calculus humanus dissolvatur (7); injecta

(1) Cieri Stæhelin. p. 19. Aceti, Lobb. Ceparum, Halef. hæmart. p. 215. Porri, Lobb. exper. 51, &c. Minerali, Dippel apud Schulze de Lithontripticis. Spiritu nitri fumante, Ruttý, &c.

(2) Hartley, Fluviatili, p. 269. Sequana, Jussieu, Mém. de l'Acad. 1720. Nivali, Stæhelin. p. 25, &c.

(3) Holleenfi, Stæhelin. p. 30. De Bareges, Default. De Contrexeville, Touvenel, Mem. chym. & medic. &c.

(4) Percival, Experiments and Observations on different kinds of air by Joseph Priestlet, vol II, p. 360.

(5) Hartley, Hist. p. 73, &c.

(6) Pringle, mal. des armées, t. II.

(7) Hartley, p. 226.

verò possunt non lædere vesicam, dummodò parcâ manu dispenfentur, & licet pauca eam tamen vim urinis addunt, ut calculus sensim imminutus dilabatur; jam verò ex lithontripicis celebratis, hoc nobis videtur efficacissimum, scilicet aqua graminis cum pauxillâ salis alkali-fixi copiâ, & aëre fixo saturata (1). Interdum nonnihil levaminis quoad symptomata tantum experiuntur ægri; & ex inde eò major sanitatis spes affulget, quod urinæ crassiores, magis glutinosæ, fabulosæ, infida utplurimum solutionis indicia, liberè ejiciantur. At sæpè sæpiùs vana spes. Tempore quodam elapso novis ingravescentibus symptomatibus, evulsionem, ut specificum appellant.

X I I I.

EVULSIO, quæ si non sola, certè ut princeps indicatio jure censetur, est operatio, quâ calculus è vesicâ educitur, præviâ urethræ, prostaticæ & vesicæ vel dilatatione, vel sectione; quæ quidem operatio *lithotomia* nuncupatur. In eâ verò duo consideranda; scilicet partium divisio dilatatioque, & calculi evulsio.

Lithotomia vel suprà pubem vel infrâ celebratur; illa sectio vulgò *franconiana*, *altus apparatus*; hæc *imus*, seu sectio perinæi nominatur; Quæ quidem triplici methodo institui potest; 1°. *per lateralem apparatus*, in quo perinæum, vesicæ corpus ac collum lateraliter inciduntur urethrâ intactâ remanente; & illa subdividitur in modos Celsi, fratris Jacobi, Rawii (si fides Albino) Foubert & Thomæ hujusce Collegii Magistrorum. 2°. *Per Marianum seu magnum apparatus*, in quo perinæum & urethræ

(1) Ut copiosior fiat lotii pars aquosa, & sic dissolvendo calculo magis idonea, nonne etiam expediret, ut excretio cutanea minueretur?

bulbus tantummodò rectè secantur; dum pars membranacea, prostatata, & vesicæ collum distenduntur ac dilacerantur. 3°. *Per magnum apparatus lateraliter factum*, gallicè *grand appareil latéralisé*, in quo perinæum, pars urethræ membranacea & collum vesicæ lateraliter plus minusve inciduntur; cui varios modos ab auctorum nomine designatos referre placet; nimirum modos Franco, Cheseldenii, Dranii, fratris Cosmæ; MM. Moreau, Lecat, Pouteau peritissimorum in Galliâ Chirurgorum; & D. Hawkins clarissimi in Angliâ Chirurgi; de hisce variis methodis, modisque, prolixius esset disserere, præsertim cum à clarissimis auctoribus hæc abundè ac perdoctè fuerint prædicata. Hunc specialem modum tanquam inter omnes præstantissimum, eò quod brevior sit, simplicior, faciliior, tutiorque, pluribus abhinc annis primùm Londini à clar. D. Hawkins inventum ac feliciter adhibitum, dein Parisiis à celeberrimo hujusce Theſeos Præfide, primâ vice die 28 Octobris 1767 celebratum, denique repetitum multoties prospero admodum successu, etiamque ab aliis hujusce Collegii Magistris; qualis à nobis emendatus est, utpotè nondùm publici juris factus, exponere fert animus; præmissis quibusdam de ægro præparando.

Calculus. III. de calculo. X. I. V.

OPPORTUNUM calculo extrahendo tempus eligendum est, quoties eligendi copiam facient symptomata; fit autem opportunum pro cæli temperie, ægrotantis ætate, pro morbis aut alio quovis habitu. Sic in pueris dentitio, in fœminis tempus graviditatis, fluxûsve menstruorum, &c., calculi evulsionem prohibent; hanc autem si tempus aut alia quævis causa suadeat, tunc instituenda est præparatio, quæ diversa est pro morborum genere, pro statu quocumque, &c. Quo majores sunt calculosi vires, eò minùs, cæteris paribus, fausta procedit lithotomia, undè tenui ac modico victu priùs est debilitandus; pletorico, sanguinem

sanguinem elicias; bilioso, balnea, clysmata, potus lenientes & medicamenta bilem ducentia, diligenter adhibeas, praesertim ægro, cujus sensus acrior est & facilius excitatur. Si verò stomachus crassus & indigestis inficiatur humoribus, vomitoriis sollicitandus est & excutiendus; alvus autem exoneranda purgantibus. Iisdem medicamentis pueros aggrediari, praesertim rusticos, qui vermibus frequenter corroduuntur, aut adultos, qui nephreticis doloribus contorquentur. At verò ipso sectionis die aut praecedente, denuò alvus per admotum clysterem exoneretur; instrumentis, cæterisque rebus diligenter instructis, Æger commodè constituendus est, & in dato statu confirmandus.

Quoad positionem, illa nobis optima videtur, quâ super mensam stabilem laneâ culcitâ ac linteis constratam, omninò resupinus, capite tamen pulvinari suffulto, ita collocetur Æger, ut cruribus diductis ac reductis, manibus unâ cum pedibus, laneis mediantibus laqueis, blandè ac firmè connexis, in extremo mensæ luci oppositus statuatur. Eo itaque sic rectè posito & à ministris firmato catheterem ferreum sulcatum magnitudini corporis accommodatum (1), & rostro in oleum priùs immerso, in

(1) Pro diversis hominibus triplex omninò requiritur, Maximus nempe, pollicibus duodecim longus, octo lineis circumferentiæ crassus; ejus pars recta septem pollicibus & sex lineis constat, curva verò quatuor pollicibus & sex lineis, cujus chorda pollicibus quatuor, & sinus decem lineis: Minor pollicibus decem longus, & sex lineis circumferentiæ crassus: pars ejus recta sex constat pollicibus, curva quatuor, cujus chorda tribus pollicibus & sex lineis, sinus verò lineis septem: Minimus, octo pollicibus longus, & crassus lineis circumferentiæ quatuor: ejus pars recta quinque pollicibus constat, tribus curva, cujus chorda duobus pollicibus & lineis undecim, sinus verò sex lineis.

vesicam blandè demittat operator, & solertissimè num reverà calculus aliquis intùs deliteſcat, denuò exploret: tùm ſi calculus ſentiat, aut etiam minimè, ſed antea ſibi certò compertus, ſit, ſummum catheteris unà cum pene verſùs dextrum inguen pauliſper inclinetur, angulum rectum cum axe corporis effingat, atque miniſtro, qui ſiniſtrà ſcrotum comprehendit; dextrà diligentiffimè continendum tradatur; dein ad ſectionem ſe accingat Chirurgus.

X V.

DIGITI ſiniſtræ manus in perinæo ità collocentur, ut pollex propè anum, index autem & medius ad ſiniſtrum iſchii proceſſum infideant, cute tenſà neutròque retractâ, utque inter eos ſpatium incifioni liberum relinquatur: ſcalpellum rectum manu dextrâ, eo modo, quo calamus, apprehendatur, teneaturque; cutem priùs haud procul à perinæi futurâ, ante anum ad unum circiter pollicem incidat; dein lateralem perinæi ſiniſtram partem obliquè inter anum & iſchii proceſſum: quæ quidem ſectio ad tres pollices quandòque ducenda, & ad minorem in extremis, quàm in medio altitudinem. Hâc in priorî ſectione inciduntur integumenta, textus adipofus, nonnulla vaſcula ac nervuli; ſicque muſculus accelerator & ani ſphincter cutaneus ad internum ſectionis latus, erector verò, vaſa nervique perinæi ad externum intacta remanent, vel remanere debent. Quâ ſectione peractâ, intrâ vulneris labra indicem ſiniſtræ manûs immittat operator, ut catheteris fulcum dignoſcere poſſit ultrâ bulbum; ibique bulbo in anteriorem partem propulſo, firmiter innitatur: deinde obliquè ſatis adeò incidat, ut fulcum catheteris nudè eodem indice percipiat. Quâ quidem in ſectione pars tranſverſi poſterior & portio urethræ membranacea ſecari debent,

Tùm indice digito favente, ductoris nostri qui ægrotantis magnitudini conveniat (1), rostrum, in catheteris sulcum cautè simul ac tutò immittat, cavendo ne inde deflectatur & aberret. Postea catheterem à ministro sinistrâ recipiat, quem sic erigit, ut albæ lineæ sit adversùs & angulum suprà memoratum retineat; & quantum in se erit, integrum ducat versùs dextrum latus, ut instrumentum secans à vasis nervisque pudendis amoveatur. His ita constitutis, nec in ullam partem inclinatis, per catheteris sulcum, dextrâ manu, ductorem immittat in vesicam. Hoc modo, lateraliter seu transversè inciduntur minima pars musculi transversi & urethra, usque ad collum vesicæ; demùm pars maxima prostatae & colli vesicæ.

X V I.

Quo facto, catheterem blandè educat dextrâ manu, dum lævâ ductorem continet; deinde mediante conductoris canali, forceps calcularis, in oleo priùs tincta & sedulò clausa, providè ac lentè in vesicam insinuetur: tùm conductor eodem ferè modo, quo fuit intrusus, retrahatur, contra dextrum pelvis latus nitendo. Forceps ad laxiùs diducendum vulnus, ita gnaviter aperiatur,

(1) Pro variis hominibus triplex ductor requiritur, singuli concavitate cuius radius pollice longus, sinistro margine prorsùs obtusi, dextro verò usque ad quartam ejus partem quæ in aciem abit. Maximus quinque pollicibus longus, juxtà manubrium lineis latus duodecim, ad quartum à manubrio pollicem, undecim lineis, per residuum pollicem acutissimus sensim tenuescere debet. Minor quatuor longus pollicibus & sex lineis, decem lineis latus juxtà manubrium, ad tertium & semi pollicem à manubrio, novem lineis, cæteraque ut in præcedenti. Minimus quatuor longus pollicibus, juxtà manubrium octo lineis latus, septem versùs partem secantem.

C ij

ut altera sit *antrorsum* maxilla, altera verò *retrorsum*. Nam quoad partes transverse sectas diductio vulneris, etiamque dilaceratio minori faciliorque negotio perficitur, cum nifus seu vis, incisioni perpendicularis sit. Tandem clausa iterum blandè forcipe, calculus inquiratur; quo reperto ac prehenso, ut expedit, educatur, forcipem providè retrahendo ac leniter, ultrò citòque, præsertim versùs anum motando.

X V I I,

EST NE calculi evulsio omni in casu protinùs tentanda, præviâ partium dilatatione aut dilaceratione? Quod quidem plerisque lithotomis potius esse videtur, existimantibus scilicèt calculi præsentiam, eorum omnium quibus calculosi cruciantur, unicum esse fontem; illius evulsionem quam citò maturandam, hâc solâ sublevari Ægrum, ejusque vim omnem malorum penitùs extinguî. Verùm enim verò quot & quantis periculis calculosum objiciunt huic methodo pertinaciter adherentes? Vulneris dolore jam fatigatus, an pati poterit calculi extrahendi dolorem acerbissimum? Partes recenti vulnere contractæ haud facilè diduci possunt & extendi; acrior est earum sensus, facilior irritatio; calculus extrahitur operosius, tardiùs, & cum vividiori doloris stimulo. Hinc spasmi, inflammationes, &c. non solum in vesicâ, sed etiam in vicinis partibus.

Nonne magis expedit, quoties, obice quolibet, calculi fieret operosior evulsio, eam procrastinare, etiam suppurationem vulneris expectando? Ex hâc methodo quam à Franco præceptam renovavit, nec infausto pluries successu, clarissimus hujusce Theseos

Præses, maxima oriuntur commoda. Nam eo spatio quod inter incisionem & inflammationem interjectum est, sabula, glarea, fragmenta lapidea, atque etiam minuti calculi foras ejici possent cum urinis, aut si exitum calculi præpediat ipsius magnitudo, tunc ille in ipsum vulnus se se implicare poterit, aut seipsum præbere quâ parte minor est: hinc facilius apprehenditur, si, quod fit aliquando, ultro se non præbeat: partes puris effluvio molles ac relaxatæ, nec ita sensibiles, minus reluctabuntur forcipi, cujus motus ad calculum apprehendendum requisiti minus erunt noxii; calculus cui non ita vulnus obstabit, minori cum dolore & spasmo citius educetur; unde mala, alteri methodo quasi insita, vix ac ne vix quidem accident. At objicietur forsan, quod, calculi evulsionem procrastinando, symptomata quibus calculosus vexaretur, per incisionem ingravescant & iis eum malis subjiciant quæ ex terrore, & curatione difficiliore ac tardiori immerito habitâ, proficisci solent; his enim agitur, quandiu non cernit oculis inferum hostem, quo tantopere cruciatur: sed hos indocti ingenii fœtus infulsos & pertinaciter defensos respuit experientia. Hæc quippe mala raro admodum in his calculosis occurrunt, quorum calculus extrahi non potuit; sive propter magnitudinem; sive quod non invenitur, absconditus inter longos processus, aut in vesicæ sinu; sive quod illius fragmenta omnia non fuerunt educta; sive tandem quod Chirurgus, ne, cum in vesicâ spasmus adest aut acrior irritatio, Ægrum vexaret, operosæ longæque evulsionis tentaminibus incautis & incassis, ex quibus sequerentur accidentia jam memorata, ad eam differendam coactus fuerit.

Hæc si sola vigeret methodus, quot & quanta bona in genus humanum redundarent, cum multos lithotomiâ sic blandè institutâ ad perfectam sanitatem adductos, experientiâ compertum sit.

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. ANTONIO LOUIS, Scholarum Professore Regio, Academiae Regiae Chirurgiae Secretario perpetuo, Regio Librorum Censore, in Castris & Regis Exercitibus à Consiliis Chirurgicis, Nosocomiorum Militarium Regni Inspectore, Consultissima Facultatis in Universitate Parisiensi Doctore, Regii Medic. Nanc. Collegii socio honor. & Regiâ Monspeliensi Societate, Academicarum Lugdunens. Rothomag. Metens. Apathistarum Florentinae, Harlem. Socio, ut & Instit. Bonon. Societatisque Regiâ Gottingens. Societatis Botanices Florentinae Collegâ Honorario, in Medicina Facultate Halæ-Magdeburgicâ Chirurgiâ Doctore, tueri conabitur PETRUS-JOSEPHUS DESAULT, Vesuntinensis, in almâ Universitate Parisiensi Artium Magister, & in Scholâ Practicâ Anatomies & Chirurgiâ Professor designatus, Theseos Auctor.

FINIS.